



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio XXXI. Regulariter occidere possum furem pro conservatione
unius aurei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

justit. Tract. 2. c. 2. dub. 12. Joannes Sini-
chius die 6. Februarii 1654. Andreas Laurent
die 20. Januarii 1657. Jacobus Pontanus die
23. Augusti 1653. Plures dabo, si quis re-
quirat.

PROPOSITIO XXXI.

Regulariter occidere possum furem pro conser-
vatione unius aurei.

Propositionis autor citatur Molina tom. 4.
de just. Tr. 3. d. 16. n. 7 simulque Escobar
Tract. 1. exam. 7 c. 3. n. 44.

Falsò uterque citatur. Non docuit Molina
id licere pro *conservatione unius aurei*, sed ad ar-
cendam injuriam realem conjunctam cum
personali, casum ponens non de simplici fur-
to, sed de rapina, qua moliatur quis RESI-
STENTI DOMINO auferre aureum. Tum vero
ne quidem pronuntiat licere occidere, sed ju-
dicium suspendit dicens: *condemnare non aude-
rem*, qui interficeret cum moderamine incul-
patæ tutelæ.

At verò ibidem casum ponens, quo ab-
esset illa contumelia in personam, quando,
inquit, *fur cum re aliqua aliena fugeret, ut cum
equo, utrum tunc à longè fas esset illum jaculo in-
terficere ad defensionem rei illius; Covarruvias ad-
versus Silvestrum id licere negat. Et quidem quan-
do res non esset magni valoris; ut si esset solùm va-
loris*

loris trium, quatuor, aut quinque ducatorum, consentit Sotus, & consentiunt alii. Quando verum esset magni valoris, exiguaque esset spes illum potestea recuperandi, affirmat Sotus fas in eo eventu esse illum interficere. Neque id auderem condemnare; modò prius voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum. Semper tamen est consulendum, ne proximus occidatur.

Videat lector circumspectionem Molinæ in hac tota materia, & miretur levitatem obtrectatorum, quos patitur hoc tempore.

Non plus quam Molina docuit Escobar loco citato: adeatur locus: plura enim describo jam pridem, quam vel mihi libeat, vel mereatur hic accusator: sed amicorum iudicium istud fuit; qui ipsi mihi ignoscent, si identidem non obsequar: ipsos mihi velim habere obsequentes tantundem in genere tam scabro atque inamœno.

PROPOSITIO XXXII.

Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

Verbis expressis Propositionem hanc esse traditam ab Amico Tom. 5. d. 36. sect. 8. n. 131. affirmat accusator.

Non est ita. Amicus non expressit, licere defendere jus inchoatum defensione occisiva, quod exprimitur in propositione damnata: particulas illas studio videtur omisisse. Etenim